

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

LXIV.

CHARTA FUNDATIONIS PRÆCEPTORIÆ S. JOHANNIS
IN BUCHSEE.

A N N O M C L X X X.

In nomine Sancte & individue Trinitatis. Ego Berchtoldus divina favente clementia Constantiensis Ecclesie Episcopus; Quæ cautelæ studio geruntur, ut dampnosam oblivionem effugiant, & ad posteritatis notitiam pervenire valeant, scripturæ testimonio, & cautionis robore solent confirmari. Notum sit igitur presentibus & futuris Dei fidelibus, quod Cuno de Buchse, homo ingenuus, & sue potestatis, cum dominicum sepulcrum, ut in loco ubi *steterunt* pedes Domini adoraret, tribus vicibus visitasset, & in Xenodochio sancti Johannis in Hierosolimis Hospitalitatibus beneficentiam, qui in communionem peregrinorum, & curam pauperum longe & prope venientium impendere, considerasset, aliquid in gazophilatium Domini mittere gestivit, & qui heredes corporis non habuit, spirituales sibi heredes, sc. dominum omnipotentem, & dilectum suum Sanctum Johannem Christi Baptistam instituere proposuit, unde universa prædia sua, in villis, agris, vineis, sylvis, & pratis, nec non & omnem familiam, proprietatis jure sibi pertinentem, libera manu simul cum uxore sua Bertha, & Heinricho & uxore illius Salome illorum prediorum coheredibus libere & legitimè Sancto Johanni ad scriptum Xenodochium sine omni contradictione tradidit, &

a possessione recessit. Ex quibus hæc propriis nominibus significare duximus dignum; Buchse cum Ecclesia, hominibus, & universis qui sue possessionis inibi erant; Wancdorf, Worlaufen, Vinetum Nügrolis, & Muntigilis, & apud turrim. Atque ut pii facti memoria in perpetuum vigeret, in scripta Ecclesia Hospitale ubi Domini pauperes, & egeni peregrini & transeuntes, qui eum in æterna tabernacula recipiant, suscipiantur, & temporalibus subsidiis attollantur, consentiente venerabili Presbitero Arnaldo memorate ecclesie sacerdote, instituit Deo auctore.

Facta sunt autem hæc anno ab incarnatione Domini, 1180. præfidente Romanæ fedi Domino Alexandro hujus nominis Tertio. Regnante Frederico serenissimo Imperatore, anno regni ejus . . . Imperii . . . Friderico Duce Suevorum; *Berchtoldo Burgundiæ Reffore*, Arnolto Comite. Testes autem hujus facti sunt, Abbas Lutholdus de Steine; Rudigerus Abbas de Waginhufin, de choro nostro, Hermannus maioris Ecclesie prepositus & Olricus prepositus de Sancto Stephano. Albertus de Buffinane. Testes autem hujus sunt sacerdotes, scilicet Henricus de Bollingen; Petrus de Ergisdorf, Burchardus de Mure, Henricus de Munfingen, Hugo de Wichtrocho, & insuper XII. sacerdotes, ad confirmationem hujus facti introduco idoneos, testes laicos tam maiores quam minores; scilicet Comitem Arnoldum & frater suus Cono, & Rodolfus de Eigisdorf, & socii sui V. Otto von Gerenstein & V. alii. Cono de Steltelon & II. domini, Burchart de Bremecart, & filius suus, & insuper LXIII. milites, qui omnes aderant.
